

Oratio,

De

VVITEBERGA,

Conscripta

à

M. FREDERICO FREDERICI

Zatinghoff/Enchusa-Batavô,

in

Incluta ad Albim Academia,

Prid. Non. April.

Anno ere Dominicae clc lxxiiii.



VVITEBERGÆ

Excudebat Iohannes

Gormannus,

2

2

2,5

ositum vero  
nitam, inq  
is, propage  
niti, nedum  
Cavendum  
sitetatem  
re doctrina  
redeamus  
dendum &  
humanis in  
sunt, confu  
us oportet  
ius Filij De  
trajectu, v  
nam aliquam  
finem  
at, habent.  
sit:  
mo.  
omnes,  
bet.  
nem irrepsere  
B. 3 In. ult. pro  
chmici B. 4. In  
angelinum: Se  
D. 2. sac 2. In  
& F. 1 In. 9.  
m: Et alia qua  
quuntur.



VVITTEBERGA

Conscripta

M. FREDERICO FRIDERICI  
Electoris Palatini-Bavari



VVITTEBERGA  
Excubitor Johannes  
Gomarus





## VIRIS

*Experientissimo, Amplissimis, Doctissimis,*  
DN. MICHAELI KLOBIO,  
Medicinæ L. V Vittebergæ pra-  
ctico felicissimo.

DN. HENDRICO Van Lenten / Veteris  
profapiæ apud Leidenses, Lutheranaeque Ecclesiæ  
ibidem Senioris fidelissimo.

DN. M. HEINRICO JANICHIO, Lunebur-  
genfi SS. Theol. Stud.

DN. JOHANNI Weber Seniori, civi & mercatori apud  
Lypsienses primario.

DN. M. JEREMIAE Weber Lipsiensi SS. Theol. Stud.

DN. Bärndt de Bär Civi & mercatori Thunderensi pri-  
mario.

DN. NICOLA O Sei Bibliopolæ Amsterdamenti celebri,  
*fautoribus & Amicis meis suspiciendis.*

### NEC NON:

DN. PETRO FREDERICI van Zatinghoff / civi En-  
chusano, fratri meo Germano, & si fieri posset, pro-  
pter rarum & fraternum amorem, plusquam  
amando & exscolando.

### UT ET

*Magnæ spei & Indolis Adolescentibus,*

CHRISTIANO GARTHIO, Freibürgensi Misnico,

ÆGIDIO ERNESTO HUNNIO, Ilenbürgensi Misnico,

*Celeberrimorum & præcellentissimorum Theologorum*

*filiiis unicis, mihiq; summè dilectis,*

*S. & omnem prosperitatem à Christo precor.*



VIRI



**VIRI** *Præstantissimi, amici ac fautores honorandi, frater dilectissime, Cæsari nostro quotidianum est, remotis antiquis vos firmare Dominos, eosq; prædiis & civitatibus donare: jure an injuria? indagamine meo non est opus. Tantum est, si injuste, vindex æqui & iniqui Jehova, possessionem illis non permittet diutinam. Ego verò in præsentiarum civitatem e præcipuis principem, vobis offero, & possessionem (si velitis ipsi) perennem offero. Chartacea esto: attamen nullius parta est dividia. Et, si imperatoris Xenium, Cæsareum æstimetur, quod tamen, ne ut umbra evanescat, ferro & proprii capitis discrimine (incerto successu) contra Dominum priorem à novello est obtinendum & defendendum, quo vilesceret meum, cui nullus unquam manus injiciet. Quare, insuper habeo, rogare vos, ut placeat. Causa verò hujus meæ donationis est vester favor & amicitia, fraternaq; fides, qua me, semper amplexati estis. Unicum hoc addo: Manete mihi faventes & vivite patriæ & Ecclesiæ felices. VVirtebergæ è museio meo, Anno 1623, prid. Non. April.*


Vester totus,



Tuus frater unicus,

*M. Fred. Fred. Tatinghoff.*

Oratio



# Oratio

in

## Laudem VVITTEBERGÆ

conscripta



### Dongum circumspicienti

mihî, quam materiam, ascia lævigandam, exercitii causa arriperem potissimum, tandem post diutinam fluctuationem mentis meæ, commodò factum, quod se offerebat dia *Gratitudo*, quæ ita visa est ad me verba facere: 4. annos Witebergæ commoraris, quibus illa omnigenis beneficiis te affecit, & vero nectare refecit atq; potavit: & tamen in dubium tibi venire potest, quæ tibi sit Sparta exornanda? surge subitus & in illius augusti nominis celebrationem totam te resolve. sed sedulus cave, ne ambitiosa humanitate ingeras affectû tuum: non ea virum *Germanum* decent, sat larga seges, tantummodò collige aristas. Religio quædam & pius calor (dicere audebo) membra mea in rem attendo tacitè obrepserunt. Quid ultra? Parendum erat, necessitate ab ea mihi imposita fatali, propter quæ *Clarissimi Viri*, jactâ jam aleâ, mihi à parte vestrà parcendum, si, quæ à me promuntur, magnificentiam tanti loci non assequantur.

ici ac  
ssime,  
is anti-  
edius &  
indaga-  
si inju-  
posse-  
civita-  
si velitis  
a est di-  
tamen,  
incerta  
desen-  
us inji-  
sa verò  
q; fides,  
ete mibi  
è museio

hoff.

Oratio



2.

Homo *Batavus* sum, ad quem, nisi longo confecto itinere, illius gloria fama non penetravit, abstrusiora ferme omnia denegavit: attamen hastam ea propter, non judico abjiciendam, quum prudentibus, & quibus cum mihi hodie intercedit usus, suorum conatus honesti placeant, nec non voluisse satis habeant. Dicā E. de laudibus ejus, cujus præconium dudū in extremis orbis est decantatum angulis: dicam; sed pectore plano, nec animi mentem fallaci fuco prætexam. Vos favete *Excellentissimi viri*. Magnifica est hæc civitas *ratione ortus & foundationis*, magnifica *ratione progressus & incrementi*, magnifica & celebris hodieque existit. Cristas tollant *Romani* superbiæ flatu turgidi, jactent quo ad usque ipsi velint *Romulum* structorem suum, qui fraterno sanguine imperium acquisivit ac statuminare studuit. Nefandum scelus! Illene Deorum numero fuit ascribendus? Siccine fratricida gaudes Roma Jove? Cariorem, clariorem & augustiorem laudat structorem.

Taub. in  
Herc.

Manuscrip-  
tū Menzj.

*VVitteburga*: *VVitek*ndum puto, quasi *VVeisekindum*, seu filium sapientem: sonat enim Saxonibus *Wit*, quod Misnicis *VVeiss*, *VVeise* vel *Pium*. Ab hoc E. nomen suum nostra *Witeburga* (ita enim Professores olim scriptitare) anno 779. est sortita, & dicitur primario *VVitteburg* quasi *VVitekendi Burg*; secundario vero *der Weißheits Burg*, & ita nomini infallibile fuisse omen adjunctum, exitus probavit gratissimus. Hic magnus ille *Witekendus* qui *Marte* clarus & *dextra* validus, cum quo, nunquam satis laudatæ virtutis *Carolus Magnus* orbis domitor dubio ferro annos triginta conflixit. Constantissimus ille *Witekendus*, qui Majorum sacra non deseruit temerarius; sed infracto animo, nunquam illorum causa, quascunque belli vices etiam cum periculo augustissimi sui capitis, subire detrectavit. Nihil do hic auribus, nihil amicis largior *Clarissimi viri*, nec idolatriam fausta acclamatione prosequor; sed temeritatem heroico pectore inferiorem judicans, prudentiam in nostro rege laudo: ponderata n. (operante Spiritu) Domini Christianæ religionis gravitate, ultro sese (dans Deo honorem) ascribi &

allo;



associari sacrâ undâ voluit, neq; hoc tantum; sed etiam anno  
post partam salutem 785. Attiniaci summa devotione *S. Ba-*  
*ptisma* suscepit, & ab hoc tempore tanto amico fervore, &  
fervente amore, salutis suæ autorem, *Carolus* ni. *Magnum* est  
amplexatus, ut nulla turbine ab illo se divelli sit passus. Hujus  
rei testem nomino urbem *Mindensem*, cuius nomen ab ipso im-  
positū germanice idem valet, quod *Min/din/mea* & tua: *Ca-*  
*rolus* autem eo innuebat. Ecce tibi, virtus hæc mihi memet  
totum eripuit, & telæ vix tensæ desertorem abripit: restitu-  
am E. me, & quam sum orsus pertexam. Vix ulla civitas  
nomine suo ita est conspicua, ut nostra *Witteberga*: sive enim  
hanc, quam ante jeci, derivationem acceptetis, sive aliam ex-  
cogitetis, nunquam tamen non, divinum decorum, & felici-  
tatis præfagum apparebit. Si enim *Witteberg* à monte can-  
dido (quod *Dressero* placet) dictū quis putet, anne & hic præ-  
sensionem (si eventum divinationum omnium interpretem,  
consultat) securæ beatitudinis ominabitur? Albitudo enim  
prosperitatis indicium, & diem faustum, albo: infestum verò  
nigro designarunt *Thraces*. Similiter nomen hoc ab *Hæbræis*,  
lucentis autoritatis *Viri*. Sed, festinare habeo, ne tersissi-  
mas vestras aures nimia loquacitate opplere velle videar.  
Quomodo ante octingentos & 21. annos *Wittebergam* no-  
stram à tanto heroe in planicie inter quatuor saltus amœnissi-  
mos extractâ, jam tum ad astra respicere, & magni quid por-  
tendere vidit dies, ita etiam *Deus* incrementa dedit, & ad eam  
amplificandam, muniendam & exornandam, fortissima & li-  
beralissima suscitavit pectora, præter alios, *Fridericos*; duces  
& *Electores Saxonie illustrissimos*. Et quidem arcem ve-  
terem *Bernhardus Alberti urfi Domini Ballenstadij & Ascanii*, *I-*  
*talie* sub *Cæsare Lothario* restitutoris filius, qui Anno 1212.  
vel, ut *Mezsius* vult anno 1180. imperante *Friderico Barbarossa*  
viguit, & primus dux *Saxonie* est salutatus insignibusque ru-  
tæ in transversis trabibus, & duobus gladiis ad excidendos  
*Vandalos* est condecoratus: ab hoc inquam arx *Witteburgæ*  
antiqua est instaurata, ipsaq; *Witteberga* spretis civitatibus  
aliis,

3.  
Chron. Cal-  
visii p. 531.

Calvisius  
pag. 699.  
Melanch. in  
parent.  
germ. Georo-  
gij ducis  
Anh.



4.

Dress. de no-  
minibus  
urb p. 602.  
603.

MS. Menzj

aliis, eodem Cæsare *Metropolis totius Electoratus est constituta.*  
Quis hic, O Viri! non animadvertit, VVittebergæ nostræ, nō  
divum aliquem, nec *Ursulam*; sed ipsissimum *Iehovam* Patro-  
num ac protectorem? Profecto aliam causam quàm divi-  
nam prudentiam (magni quid molientem) ne rursus qui-  
quidem possum, ob quam cæteris hujus ditionis urbibus lon-  
gum *VVitebergam* tum temporis antecellentibus, minoris ha-  
bitis, hæc potissimum tantæ dignitatis & splendoris coronâ  
redimeretur. Ita est, veluti per hujus Loci Dni. suffragium, im-  
perium Romulæum Augustissimo prospicitur, ita etiam per  
ejus pastorem, non modo Saxonia; verum etiam universus or-  
bis ad *Christum* Dominantium *Dominum* erat ducenda, & ex  
faucibus infernalis draconis liberanda, & ex Romani Leonis  
unguibus eripienda. Dicitur *Bernhardus* filium habuit paterna-  
rum virtutum hæredem verum, & æmulum solertissimum, *Al-  
bertum* nomine, cujus conjux Dna. *Helena Othonis* ducis *Brun-  
svicensis* filia, monasteriū Minorū, seu Franciscanorū An. 1238.  
extruxit: in hoc cœnobio 14. ducales 6. Electorales & plures aliæ  
*tumba* constitutæ sunt: ipsa verò *Helena* Anno 1273. vitâ defun-  
gens, ibidem reposita est. Sed, inquiet hic aliquis, quid mihi  
illius civitatis præstantiam narras, cujus nomen, haud exiguū  
tempus vix vicinis inclaruit. Verum, propterea assero in ma-  
nibus *Iehove* ipsam signatam & in oculis *Omnipotentū* ferri:  
quemadmodum illos, quos in sinu suo fovet, dū, secūdâ aurâ  
flante, Littus remis carpere renuunt, *Oceanò* afflictionum ob-  
ruturus videtur interdum, ut ita, turbinem iræ divinæ eminus  
prospicientes, vela superbiæ contrahant, & in stationem divi-  
næ misericordiæ supplices sese dimittant: eodem modò *D. Ma-  
jestas* cum hoc *Musarum* asylò egit, & ne alias urbes, quæ de tā  
felici ortu felicioriq; progressu gloriari non poterant, præ se  
despiceret, & à virtutis tramite deflecteret, etiā de ponte de-  
jecit, & paulisper in pulvere sordidū harere, & ignotum late-  
re voluit, usq; ad annum 1353, qui Electore Rudolpho I. sum-  
mo templo initium dedit: de hinc emergere & enitere cœpit:  
nam anno 1361. Rudolphus II. primi filius, templo à Patre fun-  
dato-

dato extremam imposuit manum, eoq; partem spinæ coro- Dress. lib. 5.  
næ Christi, ex Gallia allatam intulit, magno sc. ac famoso pro dictop. 605.  
illius seculi religiosa superstitione, thesauro, cuius causâ, dubio M. S. Mēzj.  
procul salutis E. V Vitebergâ frequentes visitarunt. Tandem,  
tanquam de Cœlo demissus alter ille V Vittekindus, *Fridericus*  
*Tertius* cognomento *Sapiens*, ad summum gloriæ culmen pro-  
vexit, & æternæ famæ dicavit. Hic enim *ponte* oblongo (quo  
mercium commodior esset *trajectio* (*albam stravit*, & arcem è  
fundamento, priori longe augustiorem duxit: hic animæ suæ  
consulere meditans, *templi D. Ursulæ & 11000. virginibus sacri*  
*fundamenta locavit*, eodem fervore & fine *cœnobium Eramitarum*.  
S. Augustini regulam sequentium prope Elystri portam ædifi-  
cavit; verum, quia in papali ergastulo omnia templa vilebant,  
& frangebant, nisi aliquò Numine palpabili (palpali velim) in-  
habitarentur, pius hic, & vere Germanus princeps, pio fervo-  
re, potius errore, sibi ipsi imponens, per D. *Staupitium* otiosas  
divorum sarcinulas, pretio sine dubio sat pretioso (non enim  
parvo veneunt fures & lupæ apud onagros solitarios sc.) con-  
quisivit, conquisitas convasavit, & studio summo *VVitteber-*  
*gam* translatas in templo *D. Ursulæ* recondidit: huc tum tan-  
quam ad *Æsculapij* fanum cursitare viri pariter ac mulieres, &  
ut vel pedem latum ex purgatorio levarentur, ab hujus delu-  
bris sacrificulis, saccos & crumenas purgari, perferre ac pati.  
Hinc *VViteberga*, late circumjacentibus *Delphi*, est facta, & o-  
mnium ferme beatissima ab omnibus est habita. Sed *viri præ-*  
*cellentissimi* sistite hic gradum, & mecum rigorem conscientiæ  
agnoscite. Optimus hic *Electo*r, munificentia in pauperes, ob-  
servantia in sanctos, & amore erga patriam conspicuus, & tot  
Monacharum, seu murcorum potius, & divorum intercessio-  
nibus satis septus & munitus, in horum omnium stipulationi-  
bus acquiescere haud inveniebat; sed Christo, alia via (quam  
tamen tum temporis ignorabat) proximandum existimabat:  
quocirca inter longinquum pariter ac molestum in Palæsti-  
nam suscepit, quò ipsa *Clementissimi Christi* vestigia preme-  
re, exo-

B

re, exo-

6,

Dress. p. 606  
Taub Herc.  
Academ.

M.S. Mēzj.

re, exosculari, & piis agitationibus super sepulturâ Christi animam suam pascere posset languentem: demenso hoc itinere & patrios focos repetens, spolia veluti Turcie exuta (faciem nempe Christi adversam averfamq; syndoni impressam) in arcis suæ templo suspendit. De hac re scribunt Clarissimi viri Taubmannus & Dresserus. Hic sapientissimus Heros Deo & Musis domicilium extruxit, almam hanc nostram *Academiam*. Quare, me *Dius fidius* (absit verbis impietas) errarunt poëtæ, fabularû compilatores in *Phocide*, *Musarum* fanum & cænaculû somniantes: non n. est quod illud invisendi E. trans mare curramus; & escam Scyllæ ac Charybdi corpora nostra exponamus: nos vivimus in eo, ac nutrimur, nutrimur inquam, non cibo vili, seu liquore communi; sed *Ambrosia* & *nectare*, quæ illi tantum appetuit, quibus de luto piceo in sigillatam terram mutari dedit *DEUS ter Opt. Maximus*. Quæritis, *honorandi Domini*, vel animi pendetis? redite quæso mecum in præterita, annon huic nostræ, quæ nobis omnes has facit paginas, in primo, ortus sui, momento, nomen, *Arx Sapientie* seu *Wetseburg* est impositum, omine nempe prospero, *Charites* hic asylû suum fixuras. Annõ hujus *Academiae* seu *Parnassi* fundator, sapientis nomine venit, eo ipso aulæ *gratiarum* ædilis à DEO designatus? Hic noster *Parnassus* in deliberationem venit, non in consilio Jovis, Junonis, seu aliorum Numinum fictitiorum; sed Anno 1495. à *Maximiliano* ejus nominis primo, in conventu *Vormatiensi* potestas instituendi in suo territorio *Academiam*, singulis *Electoibus* est facta: de hinc consultatio Anno 1499. de nostro *Palladio* est instituta, donec tandem *Electore Friderico Sapiente* Anno 1502. faustis acclamationibus, ipso die, *Luca* sacro, est inauguratum. Huic sine liberis demortuo Anno 1525. & in arcis templo ante aram tumultato successit *Iohannes*, propter confessionem imperterrito animo *Cæsari* oblatam ac deinceps constanter defensam, cognomine dictus *Animosus*. De hoc Heroe multa mihi dicenda forent, si non tam *Vitebergam* quam vitas ducum delineare

lienare vellem. Quare, ut maturem & stamen meum præ-  
 texam, propero. Johannes hic animosus, quum filii sui Iohan-  
 nis Friderici curæ confessionem Augustanam & Universitatem com-  
 mendasset Anno 1532. Schveinitii placide in Christo obdor-  
 miens, Iohanni Friderici Electoratum reliquit. Hic E. simulatq;  
 ad Electorale culmen erectus esset, nihil prius habuit, ac in  
 nulla re magis fuit, quam ut Spartam suam modis omnibus,  
 exornaret, Anno igitur 1536. Dominicâ Misericord. Academiam  
 templo arcis & omnibus ejus redditibus donavit. Civitatem quoque  
 hanc altò, & firmissimò vallò circumdedit, muris firmavit,  
 propugnaculis ac fossis munivit, & bombardis, aliisque ad ho-  
 stem excipiendum necessariis, instruxit, ita, ut castrum vali-  
 dissimum evaserit, quod tempore Caroli V. & hujus Electoris,  
 tale fuit, ut ipse Carolus de expugnatione totus dubitaverit;  
 sed asturem aggredi putaverit satius. Testem mihi te lauda-  
 re possem, Illustrissima Sybilla, Saxonie ducissa, testes vos adduce-  
 le liceret, optimi Electoris optimi filii, Iohannes Friderice, & Io-  
 hannes VVilhelme: quum enim suavissimo conjugii & carissimo  
 genitori, nisi VViteberga dederetur, minacia & terrificæ Cæsa-  
 ris verba mortem minitarentur, ille verò heroico planè, & im-  
 moto vultu, hoc responsi Cæsari legato dedisset: *Quid tum, se  
 VVitenbergâ non traditâ, me mori oporteat? hæc enim, non vita mea,  
 petitur. Cæterum nihil hæc me terrent: utinam nec conjugem & li-  
 beros & amicos, quibus à calamitate mea, majus periculum, quam mi-  
 hi, imminet: nam quicquid, mei contemplatione, hosti dabitur, illis peri-  
 bit, nec mihi proderit: quorsum enim accessio paucorum dierum jam  
 effecto seni, neq; diu victuro? itaq; si optio detur, malim, re liberis sal-  
 vâ, quam primum mori, quam diu illis spoliatus vivere.* Vos, simul,  
 atque fama tam duri, conjugis ac parentis vestri responsi, aures  
 vestras turbinis instar opplevisset, ex templo Cæsari supplices  
 facti & ad genna illius provoluti, vitam illius (imperatis fa-  
 ctis) estis deprecati. Sed, quid ago? mæstitiâ vos de non co-  
 gitato involvere videor, explicemus nos ergo, & datâ occa-  
 sione, læta sequamur. Ex pactis igitur, Cæsar, cum suis, Anno

M.S. Mēzj.

M.S. Mēzj.

Thuan. par-  
te 1. p. 188.  
in 80.

Dress p. 615.

Sleid. lib.  
19. p. 579.

ti a-  
 ine-  
 ciem  
 n ar-  
 aub-  
 do-  
 are,  
 larū  
 mni-  
 nus;  
 nus:  
 cibo  
 æ illi  
 rram  
 randi  
 teri-  
 nas,  
 Bet.  
 ic a-  
 ator,  
 DEO  
 enit,  
 ficti-  
 io, in  
 torio  
 tatio  
 lem  
 ioni-  
 ne li-  
 n tu-  
 terri-  
 am,  
 mihi  
 n de-  
 neare

8.

1547, urbem ingressus, nihil ei damni intulit. *Palladium* ferunt poetæ, quo tempore arx & templum *Minervæ*, *Troje* erigebatur, è Cœlo cecidisse, & sponte suum sibi locum delegisse, quod vates *Apollinis*, haud medioximam fœlicitatē portendere, sunt interpretati: nimirum, quamdiu simulacrum portis *Trojanorum* contineretur, nec *Martem*, nec *artem* urbe potiturum. Maçti pietate, *cives VVitebergenses*, & expallis lacertis, Deo agite gratias, quod ad vos *Palladium* cœlitus sit demissum, *Almam* loquor hanc *Universitatem*: hanc quamdiu mœnibus vestris continetis, fovetis, ei que favetis, truculentæ Bellonæ furias vix pertimescetis. Quid enim causæ fuisse, putetis, quod *Martia* illa *proles*, *Carolus V*, quum claves vestræ in illius manu essent, hostili animo, lapidem suo loco non moverit, sed tantum *Hispaniolus* unus *imagini B. Lutheri* incruentum vulnus unum atque alterum inflixerit: quam, inquam, causam tantæ clementiæ fuisse, existimatis? Equidem aliam nec auspicor, nec credo, quam *Augustum* hocce *Palladium* nostrum, erga quod devotione quâdam divinitus motus *Carolus*, lædere veritus est civitatem. ! Profectò *Viri*, quoties, circum circa oculos meos dirigens, circumjacentia loca intueor, præ gaudio præcordia mea saliant, & per *universum* hoc mihi peregrinari videor, per civitates, comitatus, ducatus, per provincias, regiones & regna: hæc, quotquot ex spissis mentis tenebris ad claram Evangelii lucem protracta sunt, *Vitebergâ* sibi primum *Justitiæ* solem affulsisse, fatentur, & grata mente agnoscunt. Verû est, horrêdæ tenebræ etiam aliquando hanc obscurarunt, & lucifugæ noctuæ eandem aliquoties conspurcarunt, sed istæ radianti soli (S. Scripturæ & Veritati) oppositæ, citò disparuerunt. Fugatisque noctuis, omnia pristino nitore summâ solertiâ, sumptibus regiis, nunquam satis laudatis *dux*, & *Elector Augustus* restituit, & *VVitebergam* Anno 1577. per *D. Pol. Leiferum* repurgavit, neque repurgavit modo; sed insuper *Universitatem* hanc munificentissimè habuit: nam, restan- te *Mentzio* ex *D. Ebero*, 45000. florenorum sortem deposuit,

Hutt. Conc.  
Concors.

cx

9.

ex cuius usura 2000 & 500. floreni sustentationi studiosorum  
indigentium & indigenarum destinati sunt, totidem, corpori  
*Academie* attributis. Ex prædiis quoque quotannis ultra tri-  
ginta millia florenorum, *ministerio Ecclesiastico* porrigenda  
mandavit. Peregrinis & pauperibus studiosis, in mensa pu-  
blica, 2000. modicos frumenti, singulis annis, assigna-  
vit. In usum Nosocomii studiosorum ægrotantium 1000.  
florenorum summam est largitus. Sed, quis omnia hic di-  
cenda, diceret? hoc si vellem, dies me deficeret, quare cursum  
fisto & dicendi filum abrumpo. Verum, unum libet adhuc.  
Cretenses, inter summa laudis præconia illud habuerunt an-  
tiquitatis, quod Jovis sepulcrum ostentare poterant. *Home-  
rum* (referente *Cicerone*,) *Colophonij* civem esse dixere suum,  
*Chij* suum vindicare, *Saliminij* repetiere, *Smirnaei* suum esse  
confirmare. Si hi, ut monumento præcellentis viri patriam  
suam cohonestarent, fabellas fingere (ne quid gravius dicam)  
& augustam illam conscientia portam effringere non erubu-  
erunt: quam meliorem causam nobis favere, imò, nos im-  
pellere, existimabitis, ut urnam *magni nostri Lutheri* conspici-  
endam præbeamus & à calumniis vindicemus. Dolet hoc  
infernali *Plutoni*, quod sanctum hoc depositum beatissimæ a-  
nimulæ, se nequicquam grunniente contra, vallis nostris cu-  
stodiamus: & quantopere hoc ablatum velit & expetat, in-  
dicina nobis esse potest, quod vivente adhuc *Luthero*, ita in-  
fernali anhelitu nonnullos afflarit, ut spiritu vertiginis in-  
transversum actis scribere non fuerit nimium, *Dei Virum* fato  
concessisse, quumq; in communem locum esset dimittend9,  
initio plumbò, portatoribus, graviolem fuisse factum, ita ut  
ipsi ferendo vix essent, cum verò humeris demitteretur è ve-  
stigio nudâ thecâ leviolem apparuisse, super quo attonitos a-  
stantes, ut quid rei esset cognoscerent, urnam aperuisse, &  
nihil præter locū vacuū, deprehendisse. Verū, hanc calumniā  
ipse *Lutherus* retudit, & taxavit, adversariumque scriptum  
commentariis auctum divulgavit, quo ita, quasi in proscenio  
mundi constaret omnibus, quid monstri rasæ hæ noctuæ a-  
lant

W.  
lant, solvant. Bardus jam sit, oportet, & ab omni civitate alienus, qui nostram *Sapientia* arcem merito à nobis laudari, & in oculis ferri, it infitias. Quis enim suo præconio illam urbem non dignaretur? quæ non tantum laudatissimæ virtutis & pietatis suum fundatorem laudat; sed etiam tanti nominis ampliatores & conservatores salutat? Quis eam civitatem præ aliis exornandam diffitebitur? quam ipse *Deus* ad summum honoris fastigium provexit. Quis, ea mœnia cuiusvis delectatæ orationis commendationem superare, negatum ire, præsumet, nedum negabit? quæ ipsissimus *Iehova Spiritus* sua cohabitatione est dignatus, ex quibus, tanquam ex *arca Noachi, seu Hierosolymis*, innumeros numero *Apostolos*, & augusti sui Nominis cœlestisque Evangelii præcones ac propagatores, emittere in universam mundi compagem placuit *S. S. Trinitati*. Quis non in illius arces laude labia sua atterere, linguam exficcare promptus se offerret? in qua *Apollo*, cum *Gratiis*, sedem ac asylum delegit. *Salve E, ô Civitas, accepta Deo, grata principibus, jucunda fidelibus!* *Salvete, Hierosolyma Germanica, in quibus sol Justitiæ, qui bene multum tempus in multorum cordibus eclipsin passus fuerat, iterum exortus, radiis suis universum orbem illustravit!* *Salvete, Athenæ Saxonæ, ex quibus tot Ecclesiarum, regionum, civitatumq; antistites atq; proceres prodire!* *Sit æviternum, VVireburga, letitia intra portas tuas, letitiæ animæ, letitia bonæ conscientie, conservetur in te, B. Lutheri cathedra immaculata: hostiles manus nunquam cingant mœnia tua: absit à civibus tuis violentia, absit impietas: audiatur in te vox sponsi & sponsæ, vox molæ & puerorum in plateis ludentium, ac*  
*Domino Jacob canticum dicentium.*

*Dixi.*

**F I N I S.**



## Carmen, pro eadem, Encomiasticum.

**N**on opus est, pontum, rabidum transcurrere, Saxo:  
Non opus est, longi ferre laboris onus,  
Ut videas claras Musis & Apolline Athenas,  
Ut videas urbis, mœnia sancta Dei,  
Saxona terra suo gremio fovet, ecce, Jehovæ  
Templum, Parnassum continet illa suo.  
Continet illa suo; sed vallum conjugat unum  
Templum, Parnassum, quæ Witeberga refert.  
Huc studiosa Phalanx, succede penatibus hospes,  
Cultior ut repetas tecta paterna, stude.





h. 71

Decorative border at the top of the page.

# Carmen pro eadem Encomasticum.

**N**on opus est contumaciter transire, saxo.  
 Non opus est, longisq; libris unum  
 In regem duci, stultis & Apolline Athenas,  
 Et, ut dicitur, inanis laboris.  
 Sed non tanta, in re, tam longa, tamq;  
 Tempus, et, in re, tam longa, tamq;  
 Coniuncta, in re, tam longa, tamq;  
 Templum, Parthenon, que, Wicberga, restat  
 In Phalax, incedo, penatibus, hospes,  
 Cantor, in re, tam longa, tamq;





depositum ver  
lagnitam, inq  
amus, propage  
deliniti, nedum  
r. Cavendum  
as sitietatem,  
vere doctrine  
um redeamus,  
credendum  
us humanis in  
ndo sunt, confu  
nemus oportet,  
solius Filij Dei  
hoc trajectu, vi  
ernam aliquan  
ia finem  
orat, habent.  
ransit:  
homo.  
us omnes,  
habet.  
ionem irrepsere  
o. B. 3 In. ult. pro  
delimit. B. 4. In.  
tingelimum: Ser  
a. D. 2. fac 2. In.  
ge & F. 1 In. 9.  
um: Et alia qua  
inquuntur.

VVIT

M. FREI  
Rating

Includa

Anno ere



VV  
Excuc

